



Universitätsbibliothek Paderborn

**Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator
communiter resurgit ad justitiam.**

Lefelon, Antoine

Bruxellis, 1675

§. 4. Nec sufficit ejusmodi formulas etiam cum sensibili devotione, imò & cum lachrymis legisse, neque talis sensibilis devotio semper à Deo est.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9433

catoris maximè inveterati conversionem communiter satis non sit ejusmodi precatiunculæ semel facta recitatio , hâc adhibitâ regulariter nec pœnitens , nec Confessarius , nisi temerariè judicare potest omnem defectum esse sublatum , ac pœnitentem debitè conversum.

§. IV.

Nec sufficit ejusmodi formulas etiam cum sensibili devotione , imò & cum lachrymis legisse , neque talis sensibilis devotio semper à Deo est.

Sed quid si ejusmodi precatiuncula sensibili cum devotione & lachrymis fuerit recitata ? Et tum fallaciam subesse posse asserit Manuductio. Contra Appendix num. 253. Hoc est , ait , nimium diffidere , & omnes peccatores in desperationem precipitare.

Verùm sensibilem istam , quam dicunt , devotionem unà cum conjunctis ei lachrymis fallacem esse posse , & impiis inesse , est in comperto. *Solida animi jucunditas* , ait cum bonorum omnium sensu nuper defunctus Eminentiss. Card. Bonifacius , non in fervoris affluentia , non in sensibili tæ Christ. p. dulcedine , non in mollibus quibusdam affectibus 1. §. 44. & lachrymis consistit : nam etiam Turcæ Galii

72 CONVERSIO
infideles in suis precibus & sacrificiis hæc inter-
dum experientur.

Refert de quodam Aëlredus D. Ber-
nardus coævus, *Qui cum immani vitiorum*
gurgite absorptus omni se spurcitæ & immundi-
tiæ traderet, nihil prorsus flagitiæ perhorresceret;
in tali vita sæpius compungebatur, sæpius lachry-
mabat: nec solùm timore pæna & peccatorum
suorum recordatione, quod forte nemo miraretur,
sed etiam miro affectu in amoris Jesu dulcedinem
resolutus, quodam mentis osculo ipsum videretur
amplecti. Eiusmodi proinde sensibilis com-
punctio non semper legitima est debitæ
conversionis probatio, quia & nonnun-
quam à Dæmone ortum habet, qui sæpè
emollit corda hæreticorum, aliorumque
perversorum, eosque, commovendo hu-
mores, ad lachrymas flectit, ut decepti
sibi persuadeant se à recta via non aber-
re. Hâc suâ arte quandam nuper plu-
res annos quoque octiduo, pro festo
rum occurrentia, bis tervè sacrilegè fecit
communicare: quod in initio quidem
nonnihil repugnante conscientiâ, sed de
cætero suscepto venerabili Domini Cor-
pore, miræ dulcedinis gustu perfundere-
tur, imò Angelorum confortio sibi frui
videretur.

Spec. char.
ap. 7.

§. V.